



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1000. Usque Ad Annum 1063

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1761

VD18 90117956

§. 45. Ecclesia Poloniæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66323](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66323)

Sæculum XI. solícite curavit, ut fundi Ecclesiæ suæ,
A.C. 1016. tunc cum Otto Imperator eam Sedi Mag-
 deburgensi jungeret, subtracti restitue-
 rentur, & novos acquireret. Illa vero
 re maxime Ditmarus æternam sui me-
 moriam posteris commendavit, quod
 scriptam a se Historiam nobis reliquerit.
 Exordium capit a Regno Henrici Aucu-
 pis, eamque usque ad annum millesimum
 decimum octavum perducit, annis ulti-
 mis diem accurate adnotans. Sui ipsius
 imaginem nobis depingit magnæ humi-
 litatis indicis; dicit enim, se exiguum
 esse corpore, & vultus prope temnendi,
 ceterosque manes suos ingenuo candore
 profitetur. In ipso historiæ corpore,
 præter plurima facta vulgaria, complura
 etiam maximi momenti, præsertim vi-
 tam & virtutes Episcoporum sibi coævo-
 rum refert. Sæpe queritur, quod Opti-
 mates Ecclesiarum Bona diriperent (com-
 mune Germaniæ, Franciæ & Italiæ ma-
 lum) Episcopos invaderent, atque parum
 auxilii in auctoritate & reverentia Sum-
 morum Principum superesset.

§. XLV.

Ecclesia Poloniae.

In fine Historiæ suæ Ditmarus narrat vi-
 ctorias reportatas de Principe Russo-
 rum a Boleslao Duce Poloniae, qui capta
 Kiovia, quæ Russiæ caput erat, maximam
 inde

inde auri vim abvexerat. In illa urbe Archiepiscopus sedebat, in eaque plus quam Sæculum XI.
A.C.1020.
quadringentæ Ecclesiæ numerabantur. Rufforum victor Boleslaus Ecclesias in Polonia a Miecislao, parente suo, fundatas, agros, integras civitates, vasa aurea & argentea omniaque Divina Officia peragentibus necessaria contulit. Decimas dari iussit, & complures novas parochias instituit.

At decimarum exactio paulo post in Polonia Rem Christianam tantum non evertit. Nam reclamabant Proceres; Christianæ Religionis jugum esse intolerabile. Animus erat, ad Ecclesias se non amplius conferre, sed ejectis Presbyteris & Clericis ad pristinas Superstitiones redire. Boleslaus, ubi conjurationem comperit, auctoribus vinciri iussis, atque non nullis interfectis, malum antevertit.

§. XLVI.

Papa in Germania.

Benedictus VIII. Papa secundo in Germaniam profectus, forte auxilia contra Græcos acceleraturus, Bambergæ cum Henrico Imperatore Cœnam Domini, & Festum Resurrectionis, quod anno millesimo vigesimo in decimam septimam Aprilis incidebat, celebravit. Dominica sequente Pontifex Ecclesiam S. Stephani consecravit; Imperator vero civitatem

H 4 Bamberg.

*Chron. Sax.
vita S. Mein-
ver. n. 82. vit.
S. Henri. vit.
S. Chun. 3.
Mart. Boll.
to. 6. p. 272.*